

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1712

**Auteur(s) :** Guillaume le Vigneor [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1263, juillet

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume le Vigneor se libère, lui et ses héritiers, moyennant 30 sols tournois par an, du service qu'il devait au prieuré pour une vigne qu'il tenait en fief et leur fait remise de ce qu'il réclamait sur les fruits de la dite vigne, sauf sur les autres possessions qu'il tenait, à raison de ce service.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° LV, p. 49-50.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris, quod ego Willermus le Vigneor, et heredes mei, tenemur, annis singulis, reddere viris religiosis priori et conventui Sancte Trinitatis de Bellomonte Rogeri et eorum successoribus, bene et integre et sine exceptione aliqua, triginta solidos Turonenses annui redditus ad duos terminos annuatim, videlicet, ad festum Purificationis Beate Marie virginis quindecim solidos, et totidem ad festum Pentecostes proxime subsequens, pro servicio quod ego et heredes mei feodaliter tenebamur facere in vinea sua subtus castrum Bellimontis sita, quam dominus rex Francorum feodavit eisdem religiosis, quod servicium michi et heredibus meis imperpetuum remiserunt et quitaverunt per redditum supradictum ; et ego, pro me et heredibus meis, remisi et quitavi dictis religiosis imperpetuum quicquid reclamabam in fructibus vinee supradicte, salvis michi et heredibus meis possessionibus omnibus et franchisiis quas tenemus et habemus ratione servicii predicti, pro quo predicto reddito predictis religiosis, ut predictum est, persolvendo obligavi eisdem me et heredes meos et omnes predictas possessiones et franchisias, scilicet domum et terram que fuit Loricorum, cum libertate sua, et unam acram terre apud Haias, que vocatur Corceria, juxta terram Gilleberti coqui, et dimidiam acram terre apud lichiam, terre Roberti Grancherii adjacentem, et libertates molte, foagii, et omnes alias quascunque franchisias ; volens et concedens quod prefati religiosi et eorum successores possint et debeant absque contradictione aliqua plenariam justiciam exercere quociens necesse fuerit super omnes possessiones perdictas, et franchisias ipsa singulas arrestare vel arrestari facere quousque de toto predicto reddito et de emenda, si necesse fuerit religiosis predictis plenarie fuerit satisfactum. In cujus rei testimonium, presens scriptum et omnia et singula in eodem contenta sigilli mei appositione roboravi. Testibus hiis : Juliano de Perona, milite tunc ballivo Rothomagensi, magistro Ricardo du Fay, tunc clerico ipsius ; teste insuper parrochia Sancti Nicholai de Bellomonte, in cujus audientia lecta fuerunt omnia supradicta, anno Domini M° CC° sexagesimo tercio, mense Julio.